

tor? • Si quis, inquit, docet aliquid et non facit quod docet, similis est puto, qui omnes ad se venientes satiat et sordes delet, seipsum autem purgare non potest, sed omnis spurcitia et immunditia in eo est. •

IV. Nuntiat regnum celorum vim pati; si quidem ex eremo quasi e rigidissimo monasterio concionatur Joannes, non utique id, quod Epicurei dicunt: • Edamus et bibamus, cras enim moriemur. • sed potius quod Dominus dixit: *Contendite intrare per angustum portam.* Hoc enim clamat solitudo, victus et vestitus Joannis, quam ob causam etiam videatur dixisse Dominus: *A diebus Joannis Baptiste usque nunc regnum celorum vim patitur et violenti rapiunt illud,* Matt. XI. quia scilicet sua prædicatione efficit et permovit suos auditores, ut regno celorum vim infernent et violenter illud raperent per opera et fructus paenitentiae; ut explicat S. Gregor. hom. XX. in Evang. Hoc enim Judæis perpetuo inculcavit non verbo tantum, sed et multo magis exemplo suo: *Genimina viperarum, dicebat, facite fructus dignos paenitentiae, etc.* Efectaque ut turbæ, publicani, milites ad ipsum venirent, monita salutis acciperent, baptizarentur et peccata sua confiterentur. Fingunt quidem hæretici nostri (Centuriatores Magdeburgenses, l. I. c. XVIII. aliisque) ne quaquam ita austere, uti sonant verba, vixisse nostrum Joannem: sed pro solitudine assignant ei domum paternam loco solitario positi: vestem e pilis camelorum aiunt fuisse vestem undulatam, camelot: locustas vero caneros marinos vel aviculas silvestres. Hæc nimurum ipsorum gustui arrident: verum impostores istos quis non deprehendit? Nonne Dominus de Joanne dixit: *Veni! Joannes neque manducans neque bibens;* hoc est, adeo vili et modico victu degens, ut nullo, dicere possis. Jejunium igitur et austera vivendi rationem instituit et prædicat Joannes, ut ad sui imitationem invitet Christianos, qui non carne sed spiritu robusti esse debent. Constat autem animam exarescere quando impinguatur et foveatur caro: contra etiam arescente carne mpinguari spiritum. Quod enim Judicum VI. ivisum est in vellere Gedeonis, id cernitur et in anima. Cum cecidit ros in vellus, tunc area circumiacens siccata fuit: cum cecidit ros in aream, vellus siccum et aridum remansit. Cum arida est nostræ carnis terra, vellus anima madidum est et cœlesti rore perfunditur, cum vero caro madet, sterilis est anima. Ergo Christianorum est vivere austere et carnem edomare. Audiamus S. Basilium, Reg. XVII. • Ut, inquit, optimus corporis habitus et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit; sic Christia-

num a cæteris discernit macilentia corporis pallorque deflorescens, etc. •

V. Clamat fug iendos sæculi tumultus, et quantum fieri potest, solitudinem amandam. Ubi enim putatis factum est verbum Domini ad Joannem? Numquid in domo paterna? Numquid in aula Herodis? Numquid in foro aut frequentia hominum? Minime: sed factum est verbum Domini super Joannem in deserto. Ut enim suavissimæ citharæ concentum audias, populi strepitem fugias necesse est: ita cum Deo suaviter locuturus, ejusque inspirationes percepturus, tumultus hominum et negotiorum sæcularium vitare debes. Ita Moyses, postquam ad interiora deserti minavit gregem suum, audiit loquentem sibi Deum e rubo, Exod. III. Ita piissimum et theodictus ille Thomas de Kempis, quoties in monasterio suo inter fratres occupatus, sensit inspirationem divinam, qua velut sponsa evocaretur ad cœlestem sponsum, mox actio nem vel collo quium abrumpens, valedicebat fratribus et in cellam secedens aiebat: • Charissimi fratres, oportet me secedere: est enim qui in cella me expectat. • Ibi mox instar Samuelis Deo dicebat: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus,* ut in ejus vita. Idem etiam in libello suo de imitate Christi, l. I. c. X. scribit: • Quoties inter homines fui, minor homo redii. • Non dissonat ab eo, quod dicebat S. Antonius ad imperatorem Constantinum evocatus ex eremo, ire tamen renuens: • Si ad imperatorem venero, Antonius ero; sin minus, abbas Antonius. • Hanc denique solitudinem animæ commendaturus Deus ait per Oseam, cap. II. *Ducam eum in solitudinem et loquar ad cor ejus,* q. d. suaviter, efficaciter, consolatore, etc. Quando ergo nos cum monachis in stabili illa solitudine versari nequaquam possumus, curemus saltem, ut, instante sacro aliquo tempore devote peragendo, vel, cum inspiratione divina evocamus ad quietem animæ, recipiamus nos in solitudinem aliquam, si non loci ab hominibus remoti, saltem cordis nostri vel templi, ubi in silentio audiamus, quæ saluti nostræ expediunt, incipiamus ab hoc die præparare nos in occursum Christi, etc.

VI. Clamat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* In libro Genesis, c. XL. memoria proditum est Josephum regiis insignibus a Pharaone decoratum, currii ejus impositum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent (Heb. abrech, id est, flecte genu) et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Josephum Christi typum fuisse scimus. Sed quis ille præco currum ejus præcedens? Non aliud nisi Joannes, Domini præcursor, qui eum universo mundo annuntians, monuit ut omnes

coram eo genua flecterent, Dominumque suum agnoscerent. Hoc enim est, quod ait: *Parate viam Domini.* Quomodo vero paranda sit, mox subjungit: *Omnis vallis impletabitur, et omnis mons et collis humiliabitur;* et erunt prava in directa, est aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei. Nos ergo, qui Christum nostrum in festo ejus natalitio venturum ad nos præstolamur, paremus ei viam et tollamus hac impedimenta. Primo vallem, id est, inanem trepidationem et pusillanimitatem, que non paucos retinet ne ad poenitentian et sanctam communionem se disponant. Secundo superbiam et præsumptionem, quæ est instar montis: proinde deprimenda et complananda. Cogitandum quam se Christus depresserit, cum e cœlo in terram descendit et infantili in corpusculo ad præsepe se inclinavit: quamque humili specie descendat ad nos etiam in S. Eucharistia. Tertio pravitatem injustitiae, que ita coquanda, ut injuryæ remittantur; ablata, cui debentur, restituantur, etc. Quarto, morum asperitatem et insolentiam, quæ ita corrigenda, ut efferas nostras passiones perdomenus, et agni quidem e lupis evadamus, etc.

CONCIO IX.

MYSTRIA.

1. Cur mentio imperii Romani? — II. Quinam tetrarchæ? — III. Quomodo duo simul Pontifices? — IV. Baptismus Joannis, cur baptismus paenitentiae?
- V. Quæ concio Joannis? — VI. Cur Joanni commendatur munus prædicandi? — VII. Cur Joannes circa Jordanem? — VIII. Cur præcursor Christi præmissus? IX. Prophetia Joannis quomodo impleta?

THEMA.

Anno decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, etc.
Luc. XIII.

In hodierno evangelio incipit Joannes prædire ex eremo, prædicare paenitentiam et parare viam Domini: postquam scilicet ultra 20. annos in solitudine meditatus est, quod diceret. Magna ergo et seria esse debent, quæ proinde nos veluti primam Joannis concionem diuturno studio elaboratam avide audiemus: maxime quia parat viam venturo ad nos Dominum in feriis natalitiis.

I. Cur meminit Lucas imperii Tiberii in hoc evangelio? Resp. primo quia cum incipiebat prædicare Joannes, nullus filiorum Herodis regnabat in Judæa, quæ tunc missa Viennam Galliæ Archelao Herodis filio, qui Judeam medianam paterni regni partem acceperat ab Augusto, in exilium, redacta erat in provinciam a Romanis, suberatque Romano imperatori

Tiberio, et procurabatur ab ejus præside Pi-

lato. Meminit ergo Lucas regis gentilis et plurium gubernatorum apud Judæos, ut indicare adesse tempus adventus Messia prædictum, primo quidem Gen. XLIX. *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de semore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Tametsi jam ante sub Augusto Imp. sub quo natus est Christus, sceptrum hoc a Juda ablatum fuit, cum Augustus regnum Judæorum Aristobulo legitimo hæredi ademit et transtulit in alienigenam, Herodem scilicet Ascalonitam, quem Judææ regem fecit contra Judæorum voluntatem. Secundo, Dan. II. ubi ponitur adventus Messiae in quarta monarchia, Romanorum scilicet. Nam prima erat Assyriorum, secunda Persarum, tertia Græcorum, quarta Romanorum, quæ cepit in Julio Cæsare et Augusto. Tertio, Dan. IX. et X. ubi prædictus est Messias venturus completis septuaginta hebdomadibus (annorum scilicet, hoc est, post annos 490. cum ergo Roma ni tunc dominarentur in Judæa et sceptum Juda ablatum esset, et LXX. hebdomadæ completae, inde voluit Lucas monere tempus Messiae adven-

nis.

Secundo. • Quia illum prædicare veniebat (Joannes) ait S. Greg. hom. XX. in evang. qui et ex Judæa quosdam et multis ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Judæorum prædicationis ejus (Christi) tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidie dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit, quoniam et in Rom. rep. unus præfuisse describitur, et in Judææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Hæc Greg.

II. Qui sunt isti tetrarchæ? Resp. Herodi primo, qui occiderat innocentes, quique, ut diximus, ab Augusto imperatore regnum Judææ accepit, defuncto tres fuisse filios supersertites, Archelaum, Herodem dictum Antipam, et Philippum. His Augustus Cæsar paternum divisit regnum, et medianam regni paterni partem, quæ Judæam complectebatur, Archelao dedit, tamen absque regis titulo; cujus hic non meminit Lucas, quia jam antea ob immodica imperia ad Cæsarem delatus, amotus et Viennam relegatus in exilium erat, ipsaque Judea in provinciam redacta, ut diximus. Reliquam regni medietatem iterum divisit Augustus in duas partes, et unam, Galilæam videlicet, dedit Herodi Antipæ: Philippo autem fratri ejus Ituream et Trachonitidem regionem. Hi ergo duo tetrarchæ vocantur, quia quilibet quartæ parti regni paterni imperabat. Lysanias, Abylinæ tetrarcha quis fuerit, incertum est, nominatur

autem quia princeps fuit regionis conterminæ Judææ.

III. Quæritur quomodo dicitur Joannes ce-
pissee prædicare sub duobus principibus sacer-
dotum Anna et Caipha, siquidem ex lege non
poterant simul esse plures pontifices, sed uni-
cūs tantum? Resp. incertum esse quare hoc
dicatur. Vel enim id dicitur, quia alter alterius
quasi coadjutor erat; vel quia Caiphas (qui a
Josepho scribitur fuisse pontifex toto Pilati
tempore) socero suo Annae pontificatum com-
municabat; vel quia eo anno præter morem
duo pontifices erant. Potuit enim facile horum
aliquid contingere, quia tunc in Judæa omnia
sursum deorsum ibant; et ut multi referunt,
pontificatus vñalis erat.

IV. Quaritur cur baptismus Joannis voca-
tur baptismus poenitentiae? Resp. primo quia
ex se non conferebat gratiam, sed tantum ad
poenitentiam homines disponebat.

Secundo quia erat typus quidam confessionis,
quo se humiliantes homines profitebantur co-
ram Joanne se peccatores esse et indigere ablu-
tione interna peccatorum.

Tertio quia significabat baptismum Christi,
per quem remissio peccatorum danda erat.

V. Quaritur quid Joannes prædicabat?
Resp. primo poenitentiam: *Pœnitentiam agite,*
appropinquavit enim regnum celorum, id est,
gratia, fides, renovatio spiritus: hoc enim cœ-
lorum regnum intra nos est, Luc. XVII. item
regnum ipsum cœleste, quod per mortem Christi
mox aperiendum erat. Hanc poenitentiam si-
gnificat etiam illis verbis: *Parate viam Domini,*
rectas facite semitas ejus, etc. Hoc vero præci-
puum suæ prædicationis argumentum sumpsit,
quia venit ut præcursor Christi, paratus illi
viam ad hominum animas lucrificandas. Via
autem est poenitentia, qua curva et aspera com-
planantur et impedimenta gratiae removentur.
Prædicabat autem poenitentiam voce, vita, bat-
tismo. Voce, ut vidimus; vita, quia in deserto
habitavit, asperam vestem gestavit, locustas et
mel silvestre edebat: baptismo, quia ejus bat-
tismus erat poenitentia baptismus.

Secundo, adventum Christi jam præsentis et
mox se manifestatur per miracula, sermones,
etc. Id fecit multipliciter. Sermone: *Medius*
vestrum stetit, etc. Digno: *Ecce agnus Dei*. Sub-
jectione: *Tu venis ad me*, etc. Discipulorum
suorum interventu: *Tu es qui venturus es*, etc.

VI. Quaritur: quare Joanni potius com-
menda est a Deo prædicatio poenitentiae, quam
alteri? Resp. primo quia ab omni labore purus
erat: decet autem eum, qui virtus aliorum re-
prehendit, ab iisdem immunem esse; ne alio-
quin ea ipsimet objici possint, sicuti Moysi cor-
ripienti Hebreum objecit ille: *Quis te constituit*

principem et judicem super nos? Num occidere
me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?
Exod. II.

Secundo, quia ipse licet innocentissimus,
austerissimam tamen vitam interim ducebatur,
atque ita peccatores ad poenitentiam agendum,
efficaciter movere poterat. Dum enim in tanta
vitæ innocentia tantam austeritatem vident, co-
gitare incipiunt, quid sibi faciendum sit: si
hæc in viridi ligno cernunt fieri, quid fieri
debeat in arido.

Tertio, quia quo quisque purioris est vitæ,
eo magis cognoscit et ponderat peccati labem,
peccandi pericula, remedia, etc. Ipsius enim
animus est quasi tersum quoddam speculum,
in quo ea omnia videt, unde et aliis, qui
hæc non intelligunt, tanto clarius annuntiare
potest.

VII. Quaritur cur habitare et prædicare
elegit Joannes circa regionem Jordanis? Resp.
primo quia præter loci illius commoditatem ad
vitam solitariam, fluvius ille a Deo miraculis
celebratus fuit. Nam fluxus ejus stetit, cum arca
Dei transiret et una filii Israel, Jos. III. per
eudem Elias et Elisæus sic sis pedibus transi-
erunt, postquam Elias pallio suo percussit
ejus aquas, IV. Reg. II. In eodem Naaman Sy-
rus a lepra mundatus est, postquam ex consilio
Elisei septies in eo lavit, IV. Reg. V. In eodem
ferrum securis ad mandatum Elisei enatavit, IV.
Reg. VI. Denique in eodem fluvio Christus bat-
tizandus erat, Matth. III.

Secundo, quia fluvius ille primo Ecclesiam
repræsentat. Nam e duobus fontibus Jor et Dan
confluentibus oritur: uti Ecclesia ex gentibus
et Judæis coaluit. Secundo, mundum, quia cum
sit amoenus fluvius, in mare mortuum tamen
inficit et in eo perdit laudatas aquas, pestilentias
mixtas, ut ait Plinius, lib V. cap. XV. Ita
mundus transit et concepitencia ejus, omnes
enim morimur et sicut aquæ que non rever-
tuntur, dilabimur in mare mortis. Et quidem
dulces sunt aquæ mundi, dum modo in alveo
vitæ hujus fluunt, ad postremum omnes in
mare amarum deflunt et amaræ fluunt, ac sèpe
noxiæ et pestilentes, cum in æternam mortem
permuntantur. Quoniam igitur Joannes venit,
homines mundo deditos arguere et revocare a
vitiis ad poenitentiam, a morte ad vitam, recte
juxta Jordanem posuit sedem suam. Unde adhi-
buit acres reprehensiones et comminationes di-
vini judicii: *Genimina viperarum, quis ostendit*
vobis fugere a ventura ira? Et: *Veniet fortior*
me, cuius ventilabrum in manu ejus, et purga-
bit aream suam, et congregabit triticum in hor-
reum suum, paleas autem comburet igni inextin-
guibili. Et: *Omnis arbor non faciens fructum bo-*
num excidetur, et in ignem mittetur, Luc. III.

Unde apposite Jordanes exponit fluvius seu
delapsus judicii; siquidem Joannes perpetuo
inculcavit peccatoribus judicium et delapsum
ad illud.

Tertio, quia sicut fluvius ille terminus erat
terrae sanctæ et dividebat eam a Moabitis, Ara-
bibus, et aliis gentibus; ita Joannes erat legis
veteris terminus ac limes, et initium novæ, uti
vocatur a S. Aug. I. III. contra duas ep. Pelag.
c. IV. a S. Thoma III. p. q. XXXVIII. art. I.
In eo desit Judaismus et incepit christianismus,
ut ait Tertullianus, l. IV. contra Marcion. c.
XXXIII. Unde *fībula legis et grātiae* vocatur a
Chrysologo, serm. XCI.

VIII. Quaritur quare præmissus Christo
præcursor? Resp. primo, ut ejus testimonio
et sanctitatem disposeretur mundus ad creden-
dum, venturum esse Messiam Dei Filium. Unde
Joan. I. de eo dicitur: *Hic venit in testimonium,*
ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes
crederent per illum. Difficile enim erat mundo
præsertim tam cæco et perverso plurimisque
erroribus imbuto credere, adesse Deum in carne
mortali hominibus, præsertim in tam humili
forma. Testem igitur aliquem habere debebat
omni exceptione majorem; et talis erat Joannes,
qui ob vitæ sanctitatem et prophetiæ spiritum,
tanta erat auctoritatis ut dubitarent aliqui, num
ipse esset Christus. Deinde hoc ipso, quod cœ-
perant homines dubitare; num Joannes, licet
omni majestate, opibus, dignitatibus destitutus,
esset Christus, jam disponebantur ad creden-
dum fieri posse ut Messias veniret, et quidem,
velut abjectus, pauper et mundi contemptor.
Quemadmodum enim ii, qui e diuturnis tene-
bris sive carceris obscuris, sive oculorum li-
berantur, non illico ad lucem educuntur, sed
primum umbris, deinde majori lumini assue-
fiunt, donec firmata oculorum acie, solis ipsius
radios plenius intueri possint; ita Deus mundum,
qui tanto tempore in tenebris et umbra
mortis sederat, paulatim educere ad Filii sui
cognitionem voluit, primum quidem per um-

bras, id est, figuræ, prophetias et sacrificia
veteris legis, postea per luminis alicuius, sed
tenuioris, id est, Joannis intuitum; ut docet
Petrus Chrysol. ser. LXXXVII.

Secundo, ob venturi Messiae dignitatem. De-
bet enim ante ducem præcedere armigerum
eius, aulicum ante regem, ut majori cum rever-
entia rex ipse sequens excipiat. Quare cum
Joannes, tantæ licet auctoritatis et sanctitatis,
assereret se non esse Messiam, sed servulum
eius tantum, imo indignum ad solvendam cal-
ceamenti ejus corrigit; nonne homines hoc
audientes advertere debeant, quanta obser-
vantia excipere Messiam deberent?

IX. Quaritur quomodo impleta est præ-
dictio Isaiae et Joannis, in adventu Christi:
Omnis vallis impletur, etc. Resp. valles esse
impletas, quia Christus humiles implevit gratia
et exaltavit, uti B. Virginem, Joannem Baptis-
tam, Elisabetham, apostolos pauperes et ab-
jectos. Unde Maria canit: *Deposit potentes de*
sede et exaltavit humiles: partim quando loco
angelorum de celo exturbatorum evexit homi-
nes in eorum sedes; partim dum superbos Ju-
dæos reprobabat et eorum loco elegit ethnicos.

Montes humiliatos, dum primo dæmonem
confregit, ita ut etiam parvulus in posterum lu-
dibrio esset. Secundo mundum, hoc est, ty-
rannos mundi et haereticos superbos. Tertio
carnem et concupiscentiam nostram.

Prava directa esse, dum viam ad cœlum, quæ
prius veteri lege varias ambages habuit, et
homines ad limbum traduxit, rectam et com-
pendiosam fecit.

Aspera complanata; dum pro veteri lege,
aspera et difficili, novam nobis dedit, facilem
et suavem.

Atque hoc initium prædicationis S. Joannis
lacte et melle dulcior; quod utinam in cordi-
bus nostris viam paret Domino, ut eo tandem
veniamus, ubi nulli montes, nullæ valles, nulla
asperitas, nulla pravitas; sed mera et immensa
planities est, etc.